

I. N. f.

SPECIMEN THEOLOGICVM,

De

# DIFFERENTIA

inter

# COELVM DEI

&

# COELVM BEATORVM,

Quod annuente

Veneranda Facult. Theol.

PRAESIDE

# ANDREA BERGIO,

S. Theol. Doct. & Prof. prim.

Examinandum s̄bit

AVCTOR

Mag. CAROLUS FRIDER. MENNANDER,

Oſtrobotnienſis.

In auditorio maximo horis a. m. solitis d. XXIX.  
Octobr. MDCCXXXVII.

---

ABOAE, excud Joh. Kiämpe, Reg. Acad. Typogr,

S:æ R:æ M:tis  
REGNIQUE SVECICI  
SVMMAE FIDEL VIRO,  
SENATORI  
&c  
ACADEMIAE ABOENSIS  
CANCELLARIO,  
CELSISSIMO HEROI & COMITI,  
**Dn. ERNESTO JO-**  
**HANNI CREVTZ,**  
MAECENATI SVMMO.

*F*luxus solens sidus est EXCELLENTIA FESTRA, quod Sue-  
cicum coelum, & sua ultra communem sortem altitu-  
dine

dine, & singulare Diuina praesentia, beatum, maxime ornat. Nos opaca corpora, & nostro gelu rigente, in VESTRO portice voluimur, beati, dum VESTRIS radiis illustramur, & motu vitali imbuimur. Soles praecepue in herba constituta nostra studia clementi aura fouere. Hinc, veluti ad solem Heliotropium, ita nos ad APOLLINEM nostrum convertimur. Immo, rapiuntur animi nostri in TVI cultum, & arcana vi ad TE pertrabuntur. Dum itaque ad NOMENIS TVI splendorem ego ex emmeritis tenebris prodire audeo, lucem obscuru huic ingenii specimini inde accedere humillime expeto. Neque est argumentum indignum, quod TAN-  
TO fulgeat NOMINE. Requirit viros principes, quibus & innata animi magnitudo; & ingenii motus fortiores quam plebei pectoris; & in hoc mundi theatro altissimae sedes; & communicata quasi celestis consilia; quiique intra unius mundi angustias non constringuntur; tantosque animos abunde satiat. De illa luce agit praesens pagina, cuius TV,  
FIR SVMME, luce splendes, quaeque TE olim ipso sole multo clariorem efficiet, ex voto,

EXCELENTISSIMI TVI NOMINIS,

Subiectissimi servi  
**C. F. MENNANDER**

Sæ R:æ M:tis  
MAGNAE FIDEI VIRO ,  
PERILLVSTRI & GENEROSISSIMO  
COMITI & DOMINO ,  
**G**VSTAVO CREVTZ ,  
LEGIONIS PEDESTRIS BOTNIAE ORIENTALIS  
CHILIARCHÆ ,  
MAECENATI MAXIMO ,

CELESTINUS TUTTI NOMINI

**C**œlum , regionem nostro tempore fere incognitam , nostris  
adgressus sum. Dicit eo fidei , pietatis & virtutum via ,  
in desuetudinem , certe in opprobrium abidere. Pudet iam sapere  
les tendere , ubi multi tartara petunt , & vitia quaevis magna  
communis mali contagia tantum non omnes tangunt. VOS , VI-  
& ita VOS veros HEROAS demonstratis. Graue imposuitis mor-  
rum & utrumque JOVAM reueneri posse , VESTRO exemplo docui-

Sæ R:z M:tis  
MAGNAE FIDEI VIRO,  
LEGIONIS PEDESTRIS ABOENSIS  
CHILIARCHEA,  
PERILLVSTRI & GENEROSISSIMO  
Dn. CAROLO SINCLAIR,


MAECENATI MAXIMO.

*moribus inaccessam, praesenti pagina rudi penicillo depingere  
quarum & ipsa nomina in conclamata hac aetate, si nondum  
& frugi esse, ubi non pauci luxuriant. Pudet seorsim ad coe-  
longo ordine exempla ostentare queunt. Hinc illae lacrymae:  
RI PERILLVSTRES, inuito saeculi genio virtutem vsque colitis,  
tatitati iugum, dum, non Pallada modo Marti cohabitare, ve-  
stis. Inde coelo amici, orbi noti, & omnibus bonis venerabiles, vi-  
uitis.*

uitis Sed sunt mihi propiores rationes VOS colendi: magna  
beneficia & summi fauoris indicia, quae ALTER VESTRVM,  
PERILLVSTRES DOMINI, in domum paternam, ALTER, post  
funestam eius ruinam, in me, penatibus & omni humana ope  
carentem, gratissime collata voluit. Praestat haec omnia ta-  
cita admiratione venerari, quam frustra incomita oratione asse-  
qui tentare. Vota nunc faciam publica, quae sub pio pectore prese-  
diu. Splendeant TANTA Fenniae nostrae LVMINA, & olim coe-  
lo inserantur!

PERILLVSTRIVM & GENEROSISSIMORVM  
NOMINVM VESTRORVM,

*humillimus cultor,*  
CAROL FRID. MENNANDER.



## PRAEFATIO.

**M**undi epitomen, totius vniuersi compendium, reliquarum rerum creatarum complementum, omnis creationis & naturae centrum, sapientissime produxit Deus dum hominem conderet; factum quidem in terra, & de terra, non tamen ad terram, nec propter terram, sed ad coelum, & propter coelum (\*). Praeterquam enim quod corpus arti-

A fi.

---

(\*) Si primus homo in creata perstisset integritate, Dei imaginem ad posteros propagasset; inuestituram, ut ita loquar, acceperat pro se & omnibus posteris, ut sic in Adamo omnes conditi ad vitam aeternam rectissime diei possint. vid. D. Jo. Gerhardus, loc. Theol. tom. II: de el. & repr. §. 102.

ficiofissime construxit, exiguum non uno nomine mundum, addidit animam sui imaginem; (\*) quae non solum sanctitate & iustitia originali coruscabat, verum etiam contemplatione mundi nostri, & rerum creatarum, velut totidem scalis ad Deum ascendere promptissime poterat, &, velut divinitatis exigua aemula, nouum in se ipsa sanctorum representationum & virtutum mundum efformare. Qui nexus eo perfectior erasit, quo arctiori, non cum angelis modo, sed ipso etiam Deo, summo bono, & omnium rerum, siue speculo, siue exemplari, commercio fruebatur. Vnde non solum essentiam Diuinam & mysteria, verum etiam immensi universi seriem & formam quodam modo

(\*) Finis imaginis Diuinae respectu Dei fuit praeter Diuinæ bonitatis & sapientiae manifestationem, beatitudinis communicatio; scilicet, ideo Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam condidit, ut hominem tanquam sibi similem ad beatitudinis aeternae consortium eueheret, vid. Gerhard. disp. Ilag. p. m. 795.

do intropicere illi datum tuit. Sed, cheu! dum  
veluna proterua rebellis in Deum fieret homo,  
amissa & deplorata omnia. Sensualitati adeo  
immersus est, vt plus valeant in animum eius  
aut coelum nubilum, aut atra bilis, aut ma-  
la quaecunque vel leuiter fuso illita, quam-  
tota vis rationis & sapientiae. Est cognitio ho-  
minis hodie adeo arctis circumscripta limitibus,  
vt ne millesimam quidem partem nostri globi,  
at quam exigui respectu huius vniuersi! scien-  
tia aslequi nobis datum sit. Earum vero re-  
rum, etiamsi paucissimarum, quas cognoscimus,  
ne millesimam quidem partem actui da-  
re valet potentia nostra. Eius rursus quod agimus,  
nec millesima pars recta bonaque est;  
immo, ex rigore legis Diuinae, ne minima  
quidem aut vlla particula. Quod vero ad Di-  
uinitatis abyssum, quod ad mysteriorum com-  
plexus, quod ad vniuersale prouidentiae Diu-  
inae systema, quod ad inequuturas nostras vi-  
ces attinet, haud secus se te nobiscum res ha-  
bet, quam cum illo, qui in camera optica

extra punctum viiiionis constitutus est. Rudera  
videt: praeclara videt: insignem opificem vi-  
det: totum prospectum & cohaerentiam non  
videt. Fugerent heic nos fere omnia, ni pla-  
cuisset Deo, verbo suo de iis tantum reuelare,  
quantum ad motiuia vitae Christianae inde  
desumenda vtile nobis iudicauit. Sed, si ma-  
gnis componere parua licuerit: quemadmodum  
mathematici symbolis quibusdam quantitates in  
infinitum procurrentes & incognitas designant;  
ita haec Diuina oracula saepe terminis huius sae-  
culi, humanis, & nostro captui accommodatis, res  
Diuinas, infinitas & abstrusas proponunt. Quam  
vides, ben. I. de *Dei & beatorum coelo* com-  
mentatiunculam, partem harum altissimarum  
rerum continet. Dixi materiam esse difficilli-  
mam. Dicam ex altera parte, ab homine ad  
aliorum arbitrium viuente, & temporis angu-  
stia summa circumuento, dignam vel leuissimi  
argumenti enodationem ne exspectari quidem,  
in pietatis parte esse.

## §. I.

**N**ihil est rerum creatarum, vel vasta altitudine venerabilius, vel magnitudine plus omnem imaginandi vim excedens, vel maiestate & puleritudine oculos mortalium perstringens magis, quam coelum, quod nos vnde quaque ambit. Nullum itaque fuit dignius obiectum, quod cogitationes nostras, a sensione quadam semper ortum ducentes, posset attollere ad cogitandum de Dei & beatorum coelo. Quamuis illud, quod videmus, coelum, hos ne aequa quidem repraesentet, quam vel casula templum Salomonis, vel mapula totum vniuersum. Ad coelum enim Dei quod attinet, augusta est eius idea, & ad considerandam debita reverentia Dei maiestatem & infinitam conditionem nos recta perducit. Deus est ens summum, cuius intellectus omnes res unico actu purissimo distinctissime repraesentat. Voluntas in optimum quodque propendet. Potentia, quidquid unquam possibile est, in actum producere valet. Veritas etiam, bonis

bonitas, & quaecunque aliae ex idea entis perfectissimi & independentis necessario fluunt perfectiones, in infinito gradu illi insunt. Haec perfectionum complexus maiestatem & gloriam Dei constituit, & immutabilis earum possessio illum beatissimum reddit.

### §. II.

**I**Nfinitus est Deus, nullis limitibus circumscriptus, nullaque re alia comensurabilis. Idem omnipraesens est, adeoque nullo loco includi potest. Hinc ullum illo sensu coelum Dei dari nequit (*a*). Ipse sibi coelum & omnia. Verum, utpote intellectu puro, non vero sensuali, tam reliqua Dei attributa quam omnipraesentia concipienda sunt, ita haec suos admittit gradus. Adeo ut dicatur Deus non solum abesse a creaturis, dum operationes suspendit (*b*); verum etiam proximiore essentiae approximatione & operatione nonnullis rebus adsit quam aliis. Illisque in locis coelum Dei

(*a*) I. Reg. VIII: 27. (*b*) I. Reg. XIX: II.

constituit scriptura sacra. Ita , cum fore infinitum illud expansum , prolixorem , liceat ita loqui , requirere videatur praealentiam Dei , quam noster globulus , eo senti Deus in illo coelo esse dici potest. Porro , quoniam Deus gratiae mediis intime vnitus est , & gratijs adest credentibus , (c) coelum in iis esse dicitur. Denique , cum in beatorum coelo dignissimae sint Dco creaturae , singulari cum eo commercio , & visione eius beatae , singulari etiam ratione Deus illis adest. Vtpote vero princeps , quamuis iura nonnulla maiestatica ministris dispensanda committat , ipsam tamen maiestatem retinet nulli communicabilem. Ita quoque , quamuis Deus , quae eius est in res creatas bonitas , ita adsit , seque communicet illis pro modulo cuiusque , remanet tamen infinita illa maiestas , quae , ceu sanctum sanctorum , vnico summo sacerdoti patuit. Illam vero nulla rerum creatarum obtinere , nec particeps illius vnuquam fieri potest.

(c) Job. VI: 54.

et (a). Cuius respectu coelum quoddam maiestaticum Deo assignant passim Theologi, quod, utpote iam diximus, aequo in infinitum pretenditur, ac essentia & maiestas Diuina.

### §. III.

**D**eus solus satiare potest animae immortalis desiderium, & quo propius ei vnitur, eo propior coelo & beatitudini est. Anhelat Diuina gratia hanc hominis secum redunctionem, & facit, ut sui spiritus ope tenebrae in renatis dissipentur, & pro Diuina gloria agendi impetus in illis excitetur. Hinc, defectibus per mediatorem sublatis, Deo vnimur, & paulatim adsuiscimus quasi capere Deum (e). Sentiant tum, Deo inhabitatore, quasi praegustum & tirocinium vitae aeternae, quae sicut in embryone in illis est, & sic non specie sed gradu differt ab illa beatitudine quam sentiemus, dum deposito mortali corpore, mali illice, in ali-

as

(a) *I. Inn. VI*; 16. *El. LVII*; 15.

(e) *Iraen. Lib. V*; c. 32.

as plane circumstantias transteretur anima nostra. Tollentur tum, e medio sublatis hostibus nostris, mala omnia tam culpae quam poenae. Cumque non nisi Diuinarum voluptatum generibus perfruantur beati, praeter praesentes res, ad Numinis gloriam tantum accommodatas, non potest animos quidquam afficere. Hinc neque labi vñquam possunt, & inde ab ingressu suo in bono confirmati erunt. Scientia eorum erit summa, non tam interuentu idealium ab effectibus desumitarum hausta, quam intuitiva, cum Dei, tum reliquarum rerum ad beatitudinem summam conferentium, quae quae studium virtutis consumatum secum ferunt, augent & incendunt. Replebuntur tum omnes hiatus cognitionis nostrae (f). Hinc sapientia summa in beatis elucebit, sanctitas & omnium virtutum elegantissima series. Quae omnia ex visione Dei propullulant, in qua beatitudinem constituit Scriptura Sacra (g). Caue,

B

tio-

(f) 1. Cor. XIII: 9. 10.

(g) Matth. V: 8.

tiosam tibi imagineris speculationem. Maxime operosa erit illa visio, dum se ad omnem voluntatem Dei componere student, atque conformabuntur. Videbunt enim mentis purissimae & corporis temperamenti defecatissimi oculis utrinq; eleuatis faciem Dei, & praecipue in Christo Theantropo, qui secundum rationem corporis glorificati illis adest, omnem plenitudinem eius (b). Attollitur mens rerum spectatarum altitudine, & motu affectuum inestabilium, admirationis, dilectionis, deuotionis, in Dei imaginem restauratur. Sparget in illos continuo iustitiae sol gratiae radios. Euadent & illi lucidi, & in Deo solo terminabuntur ac perficiuntur omnia desideria. Nihil, quod Deo displiceat, futurum erit. Cognitio illa summae perfectionis intuitiva infinitam pariet beatis voluptatem, & continuus ac nunquam interruptus eorum in perfectione statutus beatitudinem summam constituet.

§. IV.

(b) 1. Joh. III. 2. Job. XIX: 25. 26.

## §. IV.

**Q**uantacunque sit haec beatorum perfectio & beatitudo, limitata tamen illa est & finita. Quod vel ex gradibus coelitum patet. Habebit enim vita aeterna non myopes quidem aut presbytas, alii tamen aliis clariores & fulgentiores erunt (*i*). Et crediderim, infinitatem Dei vel inde maxime elucere, quod licet vniuersa aeternitate insignibus incrementis semper progrediantur beati, infinita tamen distansia sub Deo semper subsistent. Habent omnes spiritus finiti certos virium terminos, ac inter se inuicem diuersum ac distinctum existendi modum. Dumque corpora illis reduniuntur, libenter quidem concedimus, tum futura digna illis mentibus habitacula, spiritualia nempe (*k*), omnium morborum, destructionum & mutacionum, aliarumque imperfectionum, quounque venerint nomine, prorsus expertia, splendore vero insigni coruscantia. Certum tamen est,

illa

(*i*) I. Cor. XV: 41.

(*k*) I. Cor. XV: 44.

illa limitibus haud quaquam carere posse, neque omnem localitatis rationem exuere. Respectu omnipraesentiae Diuinae perinde quidem esset, ubique vitam suam beatam degerent beati. Cum vero scriptura indicet (*l*), beatos coelites commerciis & colloquiis mutuis nouos aditus sibi apertos, ad cognitionem & gloriam Dei illustrandam, inde sequi videtur, quod intra mansiones sibi adsignatas, sint constituti. Hinc quoque in certo *πς*, non coelo quodam chrystallino aut empyreo, extra hunc mundum materialem tamen quaerendo, eoque infinitis deliciis instruendo, esse leguntur. Quem locum, quasque delicias, scriptura, indulgentissimae matris instar, cum filiolis balbutientis, nostris crepundiis depingit, & ad cogitandum illis intentibus, iillis corporibus digna gaudia, excitat. Si curiosulus forte lector specialia magis de felicissima hac regione desiderarit, cueluat itinerarium a diuo *Paulo*, inde reduce, conseruum (*m*). Questiones quoque illae, in quibus

---

(*l*) *Luc.* *XXII*; 30. (*m*) *I. Cor.* *II*; 9.

bus explicandis iudicarunt multi: An *ns* hoc beatorum sit creatum, vel non creatum; materiale vel spirituale; intra vel extra hunc mundum; inperceptae nobis hic sunt manentque, donec illuc emigremus, & proinde futurae reseruanda experientiae.

## §. V.

**Q**vae haec tenus fugitiuo calamo exposuimus, quaeque adhuc adferri possent, eo fere redeunt: Coelum Dei esse Deum ipsum, & complexum omnium tam moralium quam vel praecipuo maiestaticorum eius attributorum, infinitam & omnipotentem Dei maiestatem. Dum vero ille rebus creatis adest, dum rationales creature morales eius proprietates suo quaque gradu exhibere student, dum singulari modo sese iis, siue in praegusto, siue in plenaria fruitione communicat, tum vocatur & illud coelum Dei, quod in coelum potentiae, gratiae & gloriae commode dispescueris. Coelum beatorum rursus duplicem subit considerationem.

Prima-

Primario statum eorum indicat , secundario sedem. Priori sensu coelum beatorum efficienter , obiective & finaliter ipse Deus , formaliter vero eius fruitio est. Posteriori , <sup>πα</sup> illud , vbi beati Deo perfruentur. ( n ). Abi letor , & cura mecum , vt haec aliquando experiamur. Cogita , quam coecutiant hodie in coeli doctrina oculi plurimorum , quamuis armati . Gratis beatitudinem nobis conferri , mediante fide vera in Christi merito defixa , & esse illam omnium beneficiorum mediatoris nostri complementum & coronidem , caue unquam obliuiscaris. Sit omnis vita mortalis via ad immortalem. Inhaereat intimis medullis vitae aeternae consideratio & voluptas , fortissimum ad spernenda mundana , & hilari vultu animoque superanda omnia aduersa , incitamentum , nec non uberrima Diuinae laudis materia. Interim :

זהו מי לי בשמי ועטך לא חפצתי בארץ .

Pf. LXXIII: 25.

(n) Job. III: 13. Matth. XIX: 10. Apoc. XXI. XXII.

